fol.4v

ORTLIEB Dei, et Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Curiensis Universis et singulis præsentium Inspectoribus, subscriptorum notitiam necnon salutem in Dño sempiternam. Ad perpetuam rei memoriam, summi Magistri dignatio nos quamquam immeritos in sollicitudinis partem deputavit, et miseranter in Pontificalis Dignitatis Cathedra collocavit, necnon ad instar vigilantis in specula præsidentis Evamus vigilis more pastoris tam corporeos, quam mentales oculos nostros in circuitu visuri quid Gregi nobis comisso expediat, et quid operis impendi debeat, circa ipsum utilius fulti præsidio, cuius sunt hæ cardines, et in Cogitationem harum præparantur partes officij nostri salubriter, et utiliter exponamus ad ea, quæ divini cultus efficiunt incrementum, et ea quæ propterea ex sincera devotione subditorum nostrorum facta cognoscimus, ut votivâ firmitate subsistant, nostræ confirmationis munimine roboremus. Sane nobis expositum fuit, quod quondam Dnus Jodocus Dieprecht olim plebanus in Schan, et honorabilis Dnus Michaël Vinderer de Vaduz zelo devotionis accensi, et cupientes territoria in Cœlestia et transitoria in æterna solenni comercio commutare ad omnipotentis Dei, et Eius Gloriosissimæ Genitricis Mariæ totiusque Cœlestis Curiæ laudem, gloriam, et honorem, ac pro suorum Progenitorum, Antecessorum, et Benefactorum, ac omnium Christi Fidelium animarum salute et remedio, præteritorumque peccatorum alleviatione, et remissione

fol.5r

nec non ad cultus incrementum unam missam perpetuam ad Altare B. Mariæ Virginis situm in Ecclesia Parochiali Sancti Laurentij in Schan nostræ Diœcesis perpetuis futuris temporibus per specialem Sacerdotem Secularem celebrandam instituerint, erexerint, et fundaverint, ac eandem de Bonis eorum proprijs pro unius sacerdotis sustentatione sufficienti, donatione perpetuâ et irrevocabili dotaverint, prout et quemadmodum hæc et alia in litteris donationis præsentibus affixis latius dignoscuntur contineri. Unde fuit nobis humiliter supplicatum, ut institutioni, fundationi, et donationi prædictæ pro illorum subsistentia firmiori nostræ Confirmationis adhibere dignaremur. Nos igitur Ortlieb Epus præfatus qui divinum Cultum vigeri et augeri intensis desiderijs affectamus, super præmissis narratis Informationem recepimus sufficientem, per quam utique invenimus omnia et singula in litteris donationis fore veritati subnixa, unde nos pium et sincerum dictorum Plebanorum propositum et affectum condignis in Dño laudibus comendantes huiusmodi supplicationi inclinati institutionem, fundationem, et donationem prædictas, ac omnia et singula in litteris Donationis præsentibus affixis contenta, et ipsam Missam perpetuam ratas et gratas habentes, eas Authoritate nostrâ ordinaria confirmamus, ratificamus, et approbamus, ac confirmamus, ratificamus et approbamus præsentium per tenorem robur firmum, et firmitatem Canonicam perpetuis temporibus decernentes habituras, necnon Census, redditus, et Bona in ipsis litteris donationis contentos, et contenta, et quæcumque in

fol.5v

futurum danda et eroganda eidem Missæ annexuimus, univimus, et incorporavimus, ac unimus, annectimus, et incorporamus per præsentes, volentes et decernentes, quod Jus Patronatus seu præsentandi Capellanum ad dictum Altare ad seniorem inter Generosos Dños de Brandis Barones, et Heredes ac successores eorum, qui pro tunc Dnus in Vaduz fuerit, perpetuis futuris temporibus debeat pertinere, qui, quotiens ipsum altare vacare contigerit, Nobis et Successoribus Nostris, aut Nostro et eorundem successorum nostrorum in Spiritualibus Vicarijs Generalibus Idoneam attamen Secularem Personam ad ipsum Altare canonice instituendam debebit præsentare, cui quidem Personæ institutæ census, redditus, proventus et Bona dicto Altari pro dote assignati cedere debeant, et pariter obvenire. Insuper volumus, quod Capellanus dicti altaris pro tempore existens in Beneficio eiusdem Altaris resideat et in eodem Altari missas legat, et cantando et legendo Plebano in Schan fideliter suffragetur, et assistat, ut in litera donationis latius dinoscitur contineri. Volumus etiam et mandamus quod Capellanus dicti altaris pro tempore existens huiusmodi altare absque Patroni pro tempore expresso et libero consensu nusquam permutet neque de rebus Bonis dicti altaris quidquam alienet, in quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum præsentes has inde fieri nostrique Secreti sigilli iussimus et fecimus appensione per transfixum corroborari. Datum in Castro nostro Curiensi Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, die vero

fol.6r

vicesima octava Mensis Aprilis, Inditione quindecima.

(L.S.)

Conradus Rot Notarius.

Copiam hanc confirmationis Episcopalis litterarum fundationis, ac donationis Missam perpetuam in Schan concernentium suo vero et illæso Originali de verbo ad verbum conformem esse, et à me subscripto talem esse repertam, attestor manu hac propriâ, et appositione signi Notariatus mei atque sigilli consueti. Actum Veldkirchij die 24 Junij. Anno 1600.

(L.S.)

Joann Georg Prugger
Authte Aplica ac Cæsarea,
nec non in Curia Romana
Immatriculatus Notarius
Juratus